

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Stockman, Phil. & Med. D. ac Prof.
Ad Iusta exsequalia, Quae Iuveni ... Dn. Erico Soltovio Phil. & Iuris Studioso ...
Dn. Nicolaus Scharffenbergius I.U.D. Parentum nomine parat; Cives
Academiae hodie ad primam in templum Jacobaeum ... vocat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77468710X>

Druck Freier  Zugang

Stockman, J.,

i n

E. S o l t o v.

Rostock. 1650.

18.



25

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOACHIMVS STOCKMAN,
Phil. & Med. D. ac Prof.

Ad Justa exsequalia,
Quæ
Fuveni, dum viveret, præstantissimo & doctissimo

DN. ERICO
SOLT OVIO

Phil. & Juris Studioso,
Amplissimus & Consultissimus Vir

DN. NICOLAUS SCHARF-
FENBERGIUS J. U. D. & Reipub.

hujus C O S. gravissimus,

Parentum nomine parat;

*Cives Academiae hodie ad primam in templum Jacobaeum
serio ac diligenter vocat.*

• 6 (0) 8 •
ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. L.



Ui vix per aliquot dies re-
spiravimus à commentatione do-
loris publici, pectusque nostrum
laxare paullisper & reficere insti-
tuimus, ad idem mœstissimum opus inviti et
iam repetimur. Usque adeo nos quotidiana evi-
denter docere potest experientia, quām fragilis
sit vita humana, quām fragilis item res homo sit.
Mirum autem, inveniri nihilominus, qui spes
longas meditentur, & ubi eæ præcisæ fuerint, im-
modicè animi angantur & doleant. Nihil sub lu-
nâ firmum, nihil sibi constans. Quod duraturum
videtur, quod manibus tenetur, inter manus dis-
solvitur, & quod splendet, dum maximè dele-
ctat, frangitur. Ipsum nasci nostrum nihil aliud
est, quām morti vadimonium promittere, atq;
adeò introitus in vitam, est aditus ad mortem.
Tædere nos posset meritò sortis nostræ, nisi
cùm ex ipsa rerum ratione atque experientia
quotidiana, vitam hanc nostram ab suo primor-
dio imminentí morti præludere; tūm quoq; ex
oraculis cælestibus certi imò certissimi essemus,
nobis

nobis quotquot CHRISTUM induimus &
in eum credimus , diem emortualem esse nata-
lem æternæ vitæ. Nativitas equidem, quam ex
parentibus habemus, in vitam fragilem brevem-
que, & quamvis aliquando longiusculam, sem-
per tamen trepidam atque ærumnis plena-
nos emittit, ut qui vivere eepimus, ad mortem
pleno gradu feramur: hæc autem ipsa mors, ad
quam ceu metam qui citius pervenit, felicius cu-
currit, beneficio Christi Servatoris nostri ad ve-
ram vitam, æternam videlicet ac beatam nos
transmittit, ut qui morimur, vivere tunc pri-
mum incipiamus, & qui vitâ excedimus, hoc
ipso vitam ordiamur. Vera enim vita demum est,
quæ cum morte nihil cōmune habet, nihil ab ea
sibi metuit. Ut in hunc sermonem deveniremus,
fecit obitus præstantissimi juvenis ERICI SOL-
TOVII, quippe qui natalium, vitæ morumque
probitatis, exitusque sui memoriam quām diu-
tissimam maximèque commendatam nobis re-
liquit. Natus enim in hac urbe Rostochio d. XIV.
Mart. AN. cIo Ic XXIX. circa quintam ma-
tutinam. Patre amplissimo & consultissimo
viro DN. BERNHARDO SOLTVOIO,
J. U. D. celeberrimo, Celsissimorum Ducum
Holsatiæ Consiliario eminentissimo, ut & Capi-

A 2

tuli

tuli Slesvicensis Syndico bene merente ; matre
fæminâ unde quaque laudatissimâ AGNETA
Beselin. Avum paternum habuit DN. BERN-
HARDUM Soltowen / Seniorem olim Ec-
clesiæ cathedralis Slesvicensis, Dominorum
ADOLPHI, FRIDERICI, PHILIPPI
& JOAN-ADOLPHI gloriosiss. mem. He-
redum Norvegiæ, Ducum Slesvici & Holsatiæ &c.
primò Silentiarum aut à Secretis, deinde Præfe-
ctum ærarij ultra L. annos longè demeritum.
Avia paterna ei fuit matrona generis & virtutum
decore ornatissima CLARA Töfen/Dn.PAUL-
LI Töfen / Consulilis quondam apud Chiloni-
enses in Holsatiæ metropoli meritissimi. A-
vum maternum laudavit prudentissimum spe-
ciosissimumque virum DN. BALTHASA-
REM Beselin / Senatorem quondam Reipub.
Rostoch. gravissimum; Aviam maternam C A-
THARINAM Rungen / Consultissimi Viri
DN. HENRICI Rungens / COS. quon-
dam ejusdem Reip. amplissimi filiam. Quam.
primum NOSTER lucem aspexit, missus est ad
Spiritus Sancti lavacrum, & Ecclesiæ civis factus,
nomen CHRISTO Servatori dedit. A beo tem-
pore tantâ curâ, industriâ atque amore educatus,
ut, in quam spem susceptus esset, ad eam quoti-
die proprius adhiberi, & cum ætate atque annis
accen-

accendi prorsus atque inflammari posset. A tene-
ris igitur unguiculis pietatis præceptis domi pri-
mitus curarunt eum imbui Parentes, ac bonis
præceptoribus informandum commiserunt, re-
ctè statuentes, lautius à se patrimonium filio re-
linqui haud posse, quām animū pietate cumpri-
mis, bonarumque literarum scientiā optimē sub-
actum. Factum est deinde, ut postquam domi
prima fundamenta probè jecisset, meliores alibi
progressus facere opus haberet : ea propter ad
illustre illud & celeberrimum Borsholmense
Gymnasium ablegatus fuit, ibidemque ad ali-
quod tempus substitit, quod singulari cum in-
dustria, nec infelici succellu impendit. Ex hoc ad
nostram Academiam conversus ut pote AN. clo
Ioc XLIX. circa initium mensis Novembris,
quas exorsus erat Philosophiæ partes, ulterius
ac porrò secutus est. Cumque laudabiles in iis
fecisset progressus, animū ad Juris prudentiæ
studium adjecit. Ordine omnia & rectè & sapien-
ter inito, ex eorum suasu hortatuque ingressus,
penes quos & ratio & Judicium est tractanda-
rum literarum. Juris studium gnaviter urgere,
privatis sese collegijs parare, & ad publica pro-
pediem acuere, excitareque sē pariter atque alios
honestissimā æmulatione secum decreverat: non
minimum patriæ suæ ac literarum decus futurus.

A 3

Cujus

Cujus rei & nos testes sumus, & Hospes Ejus vir
Clarissimus DN. M. MICHAEL COBA-
BUS Scholæ Senatoriæ apud nos Rector longe
dignissimus. Cæterum Ipse totâ vitâ pacis ac con-
cordiæ fuit amantissimus, procul ab injuriis, nisi
ferendis, semper demereri etiam amicos & com-
mensales suos solebat. Pietati ac devotioni per-
quam deditus & sacra religiosè obeundo, & ex
iis animæ salutē diligentissimè procurando. Viri-
bus corporis, si habitum ejus ac sanitatem spectas-
ses, inmodum erat firmis, quæque diurnita-
tem promittere poterant, nisi præscriptus à DEO
vitæ terminus, quem nemini mortalium tran-
fere fas est, appetuisset Ipsiſ Kal. Jan intra se jam
infetus, de nonnulla queri corporis imbecillita-
te cepit. Rogatus igitur est extemplo Excellentissi-
mus atque Experientissimus vir DN. STEPHANUS SCULPTUS Med. D. & Prof. insig-
nis, ut valetudinem parum firmam adhibitis me-
dicamentis roboret, morbum extirparet, sa-
nitatemque reduceret. Adhibuit ille suam in-
dustriam ac eruditionem, tantâque solicitudine
ipsius curam gessit, quanta in fideli Medico requi-
ri potest. Sed nihil effici potuit omni remedio-
rum apparatu contra pertinacissimum hostem,
vicitque ejus atrocitas, non quia medicina defe-
cit, sed quia, ut diximus, terminus vitæ adfuit.
Termini

Terminata autem Ejus vita d. VIII. Jan. circa horā VI. vespertinā. Testari possunt ii qui morituro adstiterunt, quām devotē ex intimo affectu Deum precatus sit, & inter ardentissimas preces (repetens subinde aureum illud dictum : *Das ist je ge- wißlich wahr/ und ein theuer werthes Wort/ dasz &c.* cuius explicationem pro concione audieris) placidissimè animam exhalaverit. Nemo nostrum est qui non agnoscat & ultrò fateatur, grande ac penetrabile vulnus inflictum esse animis superstitionis Parentum, per insperatum ac præmaturum obitū charissimi, prolixamq; spē de futuris meritis & virtutibus suis, pridem præbentis Filii, Fieri enim non potest, ut omnem animo mærorem eliminent, & affectus abs se segregent. Id enim foret non parentem modò, sed & hominem exuere. Nec hoc quisquam vel speret vel exigat, qui quid hominem, quid parentem esse nescius non fuerit Discidium amantium, quamvis breve, amoris vestigia cordibus altè impressa relinquit, desiderium videlicet & luctum. Utrique verò moderari decet hominem non omnino humanae sortis imperitum, multò magis Christianum, cui ex oraculis cœlestibus de meliore vita edocto, quibus se soletur, abunde in promptu sint.

Erit autem id quoque Parentibus aliquod
mæro-

mæroris levamen, CIVES ACADEMICI, si ce-
remonias exsequiales præsentia vestrâ & comi-
tatu frequenti condecoraveritis. Quod quâ estis
humanitate, vestrâ sponte præstiteritis juveni ve-
stri ordinis cultissimo, & nunc à nobis moniti
promptius præstabitis. Dabitis hoc vel Nobili Con-
sultissimo, Amplissimoque D. S C H A R E F F E N-
B E R G I O Reipub. hujus C O S. & P A T R I Æ
P A T R I gravissimo, cujus nomen hoc quicquid
est officii (ut de gravioribus heic nihil dicam)
omnino meretur, qui que hujus avunculi sui piè
defuncti exsuvias è domo sua, rogatu P A R E N-
T I S, ad R E Q U I E T O R I U M efferri cù-
rabit. Ita facite & B. V P. P. d IV. April.

An. clo Io Ioc L.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77468710X/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77468710X/phys_0013)

DFG






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77468710X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77468710X/phys_0016)



Terminata autem Ejus vi
rā VI. vespertinā. Testari
adstiterunt, quām devotē
precatus sit, & inter arde
tens subinde aureum illuc
wiflich wahr und ein theuer
cujus explicationem pro
cidissimè animam exhalav
qui non agnoscat & ultrò
netrabile vulnus inflictum
Parentum, per inspe
bitū charissimi, prolixau
tis & virtutibus suis, pride
enim non potest, ut omni
eliminent, & affectus abs
foret non parentem mo
exuere. Nec hoc quisqua
qui quid hominem, quic
non fuerit Discidium an
ve, amoris vestigia cordi
quit, desiderium videlice
verò moderari decet hom
māe sortis imperitum,
num, cui ex oraculis cœl
edocto, quibus se soletur,

Erit autem id quoq



Jan, circa ho
qui morituro
affectu Deum
preces (repe
Das ist je ge
Vort/dass &c.
(audietis) pla
nostrum est
grande ac pe
mis supersti
oræmaturum
futuris meri
tis Filii, Fieri
o mœrorem
ent. Id enim
x hominem
ret vel exigat,
n esse nescius
quamvis bre
impressa relin
L. Utrique
omnino hu
gis Christia
neliore vita
promptu sint.
ibus aliquod
mœro-